

CONCERTATIO MEDICA
DE FEBRE PVERPERALI,

QVAM

PRO GRADV LICENTIATVS,

OBTINENDO,

AVSPICE DEO,

ET PRAESIDE D. D. IOS. HIPPOLYTO

VNANVIE

ANATOMES PROFESSORE,

SVSTINEBIT

REMIGIVS SARRIA, BACCALAVREVS

MEDICVS, REGI ANATOMES AMPHITHEATRI

ALVMNVS,

IN REG. AC PONTIF. DIVI MARCI


ACADEMIA,

DIE 11^{ta} APRILIS ANNI MDCCCLXXXIX.

LIMAE TYPIS DOMVS ORPHANORVM,

CONSERVATORIA
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS

ERGO GRADU. LIBRARIAS
FOL 01871



*Ea neque addicta alterutri opi-
nioni sunt, neque ab utraque nimium
abhorrentia, sed media quodammodo
inter diversas sententias. Quod in
plurimis contentionibus deprehendere
licet, sine ambitione verum scrutan-
tibus. Cels in Praef. pag. 12.*

ALTISSIMO
IN REG. AC. PONTIF. DIVI MARCI

NUMERUM
DIE 14 APRILIS ANNI 1871

LIBRARIAS

TITULARIS PHYSICA.

Splendida Astronomorum Pambamarchiensis in monte Beatificatio, a solis radiis nubi glaciali liquescenti immissis, fractis, hincque repulsis, orta.

Mirandum editissimo Pambamarchiae monte Academicis in Peruviam missis se se obtulit phaenomenon: dies Antarcticis Populis illuscerebat Sole summa Antiumiuga irradiante, cum procul resonantia aibus virgulta canois Astionoinos ad Aurorae contemplationem excitarunt. Erant hi spissis vaporibus obsiti, qui sensim a Sole rarefacti occasum versus circum nubem glacialem glomerabantur, in centro densam et superficie inequalem, in limbo rariorem, deque hexapedibus ab spectantibus Physicis e regione semotam. Hanc dum illi attento animo intuentur, ecce miraculum! Quisque velut in speculo umbram suam ad amussim depictam conspicit, caputque umbrae tribus aut quatuor arcibus redimitum, tanta luminum varietate, et fulgore micantibus, ut iam se relatum inter Divos beatum aeternae futurum laetaretur. Placeant eos ipsos Mercurii nostri ore loquentes audire: „Era esta una especie de Apoteosis en que viendo cada espectador adornada su cabeza de una gloria, u aureola formada de tres o quatro coronas concéntricas de un color muy vivo, cada una con las mismas variedades que el primer arco del Cielo, gozaba tranquilamente el placer sensible de reputar destinada a sí solo la brillante guirnalda que no descubria en los otros. Como al mismo tiempo que el Sol forma los enunciados Iris sobre los vapores que superan la cumbre de los Cerros, sus rayos, que embisten las nieves que rodean á estas, rechazados y des-

„ compuestos forman un trono de la misma hermo-
„ sura, se debe creer que estos sirios son la imagen
del Tabor. (a). Bona si sua norint **PBRVENSES!**

Incolas, audito prodigio, de origine dimicasse
fertur, credentibus aliis Deum aliquem de coelo
descendentem, gloriam in montem detulisse : vel
Patrem Phoebum novos hospites illis regionibus
miratum salutatum venisse ; aliis vero missam de
coelo tantum Iridem fuisse, quae

Mille trahit varios aduerso Sole colores.

Quae ultima opinioi veritatis physicae con-
gruit quam maxime. Etenim cum sub eadem linea
Sol in horizonte ortiuo, Physici in sublimi mon-
tis fastigio, nubis ad occasum reperiretur : umbra
spectatoris, radiis laminosis huius corpus a tergo
ferientibus, proiciebatur in nubem, et veluti in
speculo pingebatur distinctissime. Qui vero utrinque
per spectatoris latera radii in nubem directe inci-
debant, ab aquae guttis, in quas illa Solis calore
sensim resoluebatur, non aliter refringebantur, et
refracti reflectebantur, quam a nube rorida fieri
solet, **ARCUM PACIFERUM** in caere effingente.
Cur ergo arcus interior circularis integer ; caeteri
dimidiati respiciebantur ? Cur heximus arcus al-
bus ; interiores vero miris coloribus variegati ? Cur
tres isti, omnes primarii ? Cur eorum amplitudi-
nes, et colores crebro inconstantes ? Cur quisque
suam, non socii conspiciebat imaginem ? Et cur
denique, qui incedebat spectator, leo coronatus fi-
gura sequebatur ? Apollinis Albionis Oraculum con-
sultum ito.

(a) *Mercur. Peruano. Tom. 4. Pag. 23.*



TITULARIS MEDICA.

FEBRIS PUERPERALIS, neque est novum febris genus Antiquis ignotum: neque ab una eademque proficiscitur causa.

Mulier enixa interdum febrī laborat, symptomatibus immitibus, causis latentibus exitiali. Primis ut plurimum a partu diebus (1) horrorprehendit puerperam, quem calor excipit ingens, pulsu intra minutum primum a nonaginta ad triginta et centum ictus assurgente. Accessio sudore succ-

(1) Plerumque secundo ad duodecimum vsque diem post partum adortur. raro ante febrim lacteam. rarissime, si unquam, tertia vel quarta puerperii hebdomade praeterlapsa. *Selle Pyretologia* pag. 283. Incipit interdum ante partum, et in ipso partu. *Bursevius Inst. Pract. edit. in 4^o t. 1 pag. 317.* Ad larvatas refero partum praecipuantes.

cedente imminuitur, intermittentium, aut erraticarum febrium modo reuersura. Progrediente morbo accessiones confunduntur, idemque feruor indesinenter fatigat. Ex quo horror naturae bellum indixit, mirum quot se exserunt symptomata! aegra mens stupet, delirat, vel periculi nescia laetatur. Memini formosam puellam decima octaua morbi die, placide inter risus occubuisse. Deiciuntur vires, anxietas, nausea, vomitus, dolor in epigastrio, hincque ad alias partes protensus, abdominis inflatio (2), alui fluxus, conuulsiones, et nondum nobis sub coelo Limano visa exanthemata, caeteraque iunctis viribus impetunt: vel ex alio aliud ferocius sobolescit, cicurandum difficilium, quam Lernae paludis septem capitibus occidenda HYDRA; et si HERCVLES clauam suppediter, adsitque IOLAVS, candenti ferro malignum cruorem cohibens.

Interim lac, et lochia, notante LEACKIO (3), ex ordine fluunt. vtrumque vero humorem suppressi, vel saltem imminui ad hoc vsque expertus sum

(2) Symptoma febris puerperarum essentielle, dolores, atque intumescencia abdominis. *Selle Med. Clin. Vol. 2. pag. 151.* Consentit Nathaniel Hulmius *A Treatise on the puerperal Fever.* Vidi nihilominus febre puerperali enectam, toto morbi decursu ventrem sine doloribus, et demissum habuisse, diarrhoea biliosa copiose fluente.

(3) *Burser. l. c. pag. 316.*

sum. Quinimo lac, et lochia redeuntia pulus pacatiore reddito, felix auspiciam dedere (4). Et si acutorum ergo hic morbus decursum absoluat suum (5), nihil critici, nisi diarrhoeam habet (6); frequentius natura debellata, elusis artis viribus, miseranda genitrix fato concedit.

EDVARDVM STROTHERIVM primum fuisse fertur, qui descriptam aegritudinem opusculo anno 1718 Londini edito, depinxit, *febrisque puerperalis* nomine donauerit (7).
Ab

(4) Licet alia symptomata videantur cessasse, si tamen pulsus persistat valde frequens, et celer, et non remittat febris pro ratione, haud fidendum sane est; nam breui ingrauescere, atque exacerbari tunc omnia solent. *Burs. l. c. pag. 322.*

(5) Intereunt autem aliae alio tempore, prout corpus, et affectio se habet. verum vnum ac vigesimum diem non excedunt; frequentius ita accidit. *Hippoc. de Mulier. Morbis l. 1. c. 37.* Inde *Sydenhami* spectatio cum prima conamina eum fallebant, quia singulo quoque die curationis negotium magis magisque extra aleam ponitur, et si aegra vigesimum diem superauerit, iam fere in vado est. *Dissect. Epistol.*

(6) Si ab ea pulsus tardior, rariorque efficitur, symptomata placantur; contra symptomata est. *Hulmius.* In genere, quae intra tres primos partus dies prorumpit, lethalis; quae post septimum, aut nonum, deficientibus lochiis, utilis esse consuevit. *Riuerius Praxit Med. pag. 374.*

(7) Quod si enim hoc nomen certae cuidam morborum speciei imponere velimus, optimo iure illa ita nuncupatur, quae ex peculiari, et puerperis tantum solemnem conditione ortum trahit. *Selle Pyretol. pag. 284.*

Ab eo tempore scriptores Medici nouis obseruationibus, et coniecturis eius historiam illustrare, ornareque coeperunt; ingentes maxime rerum naturalium cultores Galli, et Angli homines. Vtiam quantum luminis, et honoris scientias excolentes humano generi afferunt, tantum gloriae, et honestatis non detraxerint, antiquas Romani, et Carthaginensis imperii inimicitias ad interuentionem ferentes! Hinc in aegritudinis natura, et causis statuendis diuersam sententiam sequuti, eo se animorum ardore gerunt, quasi de maris imperio tuendo ageretur. *Cum haec per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes a Medicis saepe tractata sint, atque tractentur, subiiciendum est quae proxima uero uideri possint* (8).

Neque mihi inuidiae, aut ignorantiae uertatur, si antequam cum utrisque congrediar, FEBREM PVERPERALEM priscis proisus cognitam fuisse aetatibus affirmem; adeoque STROTHERIO nihil praeter nomen deberi. HIPPOCRATES equidem tum PHILINI, EPICRATIS, DROMAEDAE coniugum: tum feminarum mendacium foro, apud frigidam aquam, et in Cyzico ex partu laborantium, illis coloribus expressit, atque adumbravit icones, ut qui febres puerperales eas referre neget, has nunquam obseruasse, aut nunquam immortalia optimi senis scripta legisse, palam fateri teneatur (9).

Quin Veteres aegritudinis causas prosequuti sunt, et haud sine veri specie in utero collocarunt;

(8) *Cels. in Praef. pag. 12.*

(9) *In Epidem. Chartier. t. XI. pag. 104, 106, 113, 249, 250, 252, 282, 308.*

runt; quatenus ex partu quid in eo dilatatum putrescit, vel lochia restringuntur. Monet GALLENVS *ton lochioon kenoosin* antiquorum non de merae sanguinis euacuatione, sed cruoris infecti purgatione esse intelligendum (10). Fateor id semper non euenire; sed in regionibus calidioribus frequentius accidere, diu iam docuisse videtur Iudaeorum Legislatorem rerum magistra experientia. Iccirco auscultandi minime sunt Angli quidam Medici, veluti ex tripode Delphico, decernentes sanguinem de utero post partum scaturientem, aequè blandum, insonem aequè ac cruorem esse sauciatis de vasculis effluentem.

Quae tamen opinio cum in eorum animis alte insederit, non in utero; sed ducibus HVLMIO, et LEACKIO in omenti, et intestinorum tenuium, gestationis tempore compressorum, inflammatione causam febris principem adesse contendunt. Quid enim aliud, inquirunt, demonstrat Anatomes, Cereris fax, qua occulti Microcosmi sinus irrimantur? An ne in febre puerperali extinctis, uterum illaesum, atque innocens; omentum vero, et intestina inflammata, pure suffusa, aut gangraena exesa patefecit? Sed horum virorum pace dicam, contraria ostendere SWIETENI, POYTEAVI, GASTELERI, FAVCKENI, aliorumque inquisitorum sectiones (11). obstare experientiam WHITEI viri Angli, qui in vndecim puerperis febrim illam nullo sanguine misso profligauit. (12); quod abs

(10) Hipp. de Morbis Mulier. lib. 1. cap. 37.
63. Galen. Comment. in Epid. Chartier 1. c. pag. 104.
282.

(11) Van Swieten in Boerh. aphor. 1329. Burs. I. c. pag. 300.

(12) Burs. 1. c.

dubio fieri non potuisset, si dira tenerorum viscerum inflammatio causam morbum continentem praestitisset. Et cur praegnantēs, potius quam enixae eiusmodi inflammationem non patiuntur, cum sub illa conditione comprimantur omentum, et intestina; sub hac vero ab omni pressione libera sint?

Ita hercle eos criminantur GALLI, qui praeunte LE ROY (13), cui suffragatur SELLE, Germaniae clarissimus Clinicus, neque a lochiis cohibitis, neque ab uteri intestinorumue inflammatione; sed a lacte in corporis intima tetropulso, et errante febrem deducunt. Quam sententiam multis, ut solent, argumentis demonstrasse confidunt. Summa tribus capitibus includam. I. Corpus muliebri filiis enutriendis destinatum suis, ita structum coagmentatumque est, ut quam primum concipit, humorem lacteum praeparet, vasculis lactiferis uteri, ab optimo ASTRUCIO detectis, secernendum, et in foetus alituram perficiendum (14). Edito partu, latex ille in mammas ascendit, atque implet perennes fontes proli futuras. Quod si casu aliquo contingat, ut lac aut non secernatur, aut secretum in sanguinem refluat, neque interim lochia albicantia a lacte regurgitante sanguinem purgent: necesse est magnas in corpore turbas excitari, Natura sine frustrata suo. Id meridiana luce conuincunt apoplexia, peripneumonia, tumores interni, et externi a metastasi lactea nascentia, et reliqui morbi, quibus afficiuntur matres, quae vbera non porrigunt natis. Atque ex eo fonte puerperalem etiam febrem provenire patet, quod immediate lactis retrogressionem sequatur, vel ea ineunte flaccescant mammae. II.

(13) *Premier Memoire sur les fievres aiguës.*

(14) *Maladies des Femmes t. 1. pag. 12.*

II. Reseratis cadaveribus a febre puerperali peremptarum, viscera abdominalia humore lacti corrupto simillimo suffusa conspiciuntur. Has lactis errantis effusiones existere probavit felicissima praxis Clari DOVL CETI, qui cum anno 1782 febres puerperales in Nosocomio Hotel-Dieu pestilentiae in modum saeuirent, quo et lactis remanentis factas in abdomine concreciones, et effusiones vi eiceret, futuras impediret, in ipso morbi insultu radicem ipecacuanhae exhibebat, quo factum, fuit ut luctuosae strages cessarent (15). **III.** Exercitissimos clinicorum, imo et totum genus humanum expe-

(15) Anno 1782 proxime elapso, cum febres puerperales in Nosocomio Hotel-Dieu complures foeminas a partu corripere, et cito necarent, quod ibi saepe accidit ob aerem fortasse noxiis aegrotantium halitibus contaminatum, ut in Nosocomiis crebro fieri solet, nec ratio vlla inueniretur quae tantam morbi perniciem auerteret; Clarissimus DOVL CETVS vtilissimam demum iis medendi methodum excogitauit, qua omnes, ut fertur, seruatae sunt deinceps. Nempe mox in ipsa morbi inuasionem dabat grana quindecim radicis ipecacuanhae in duas doses diuisa, interuallo vnius horae cum dimidia sumenda. Repetebat remedium eadem dosi et ratione mane postero, siue impinuta essent symptomata, siue non. Redibat ad idem medicamenti genus tertio, et etiam quarto, prout e re videbatur. Interuallis mixturam cochlearum porrigebat ex duabus vncis olei amigdalarum dulcium, vna syrui althaeae. et granis duobus Kermes mineralis. Potui vero dabat liberaliter decoctum seminis lini, aut radicis scorzonerae, syrupo althaeae edulcatum. Circa septimam vel octauam diem propinabat eccoproticum, idque iterabat postea, prout opus erat, ter vel quater. *Journ. de medec. t. 58. pag. 448. Burs. l. c. pag. 328.*

experientia, ita lac repressum omnium calamitatum puerperarum authorem esse conuincit, vt mammis turgescensibus laetentur quam maxime, rem in tuto esse positam credentes; contra flacescentibus illis acerbis moerore tangantur. Haec sunt praecipua Gallorum momenta, in quae animaduertere oportet: 1. Vascula vteri lactifera, et foetus ex humore lacteo nutritionem, inter imaginationis figmenta a peritis Anatomicis numerari (16). Nec comprehenditur cur lac, liquor adeo dulcis, blandus, et corpori amicus, in sanguinem repulsus, et cum eo denuo circumiens, tam insolenter, et ferociter noceat (17). Cur enim id semper non efficit in iuuenis diuitibus, quae venustatis conseruandae gratia, vbera non porrigunt natis? Sed adsunt clarissimorum virorum obseruationes, quibus docemur extitisse *febres puerperales*, toto vehementissimi morbi stadio lacte libere, imo et vberius manante.

Quod hercle maximo argumento est: febrem illam perpetuo a lacte represso, aut remeante minime prouenire: tumores, similesque metastases, in quibus lac incusatur, lochiis supressis, vel limphae acri redditae, et in tella cellulari huc illuc accumulatae, potius deberi (18): exque eo quod matres

ad

(16) *Albinus, Haller, Callan, Azzoguidius, Burs. l. c.*

(17) Si ergo lac non degenerauerit longiori mora in mammis, vel per febrim validiorem mutatum fuerit, non turbabit vllas functiones corporis dum sanguini denuo admiscetur. Si autem lac vtrumque degenerare inceperit ab humoribus sanis, facili negotio illud vitiosum per vrinas aliasue excretiones expelletur. *Van Swieten l. c. t. 8. pag. 284. edit. in 8^o.*

(18) *Gerherdus Fauuarq. in Dissertatione de Lochiorum metastasi turbas quae prius a partu diebus ob-*

ad vbera propria filios alant, haud omnino praeservari ab iisce morbis, quibus non lactantes cruciantur.

2. BURSERIVS scientiae clinicae catissimus vir, anquisitis observationibus luce clarius ostendit, materiam purulentam lacti, et caseo similem saepissime abscesibus tam internis, quam externis reperiri, vbi nulla penitus aderat lactis aberrantis suspicio (19). Flosculi ne isti caseati medio pure natantes principia sunt concreuionis illius, vi cuius carnes animalium aqua maceratae, aut limpham coagulabilem sero solutam, in cristalla glaciari, spermati caeti aspectu et vsu simillima, tentamina nuperrime instituta persuadere videntur (20)? 3. *Latissimus campus hic patere fatur celeberr.* MEKELIVS in errores hinc oriundos in *Medicina animaduertendi, qui in practicis libris saepe occurrunt. Saepius mihi in praxi visum est, ab anniculis et medicastris absque fundamento lactis in sanguinem regressum, tanquam causam morborum fere omnium secundum illorum sententiam accusari, qui puerperas post pueperium infestant* (21)

Quae quidem ab vtraque parte disputata, opinionum varietas, diuersas quoque medendi methodos induxit. Qui lochiorum suppressionem, et yteri inflammationem cum antiquis, aut intestinorum cum LEACKIO, causam morbi proximam

B

cons-

seruantur lochiis, quae vero post febrem lactariam, lacti adscribit. Additque in metastasi lactis mammas flaccere, in lochiorum aberratione turgere posse.

(19.) *L. c. pag. 295.*

(20.) *The New Annual Register, anni 1795. Philosophical Papers pag. 145.*

(21.) *Burs. l. c. 294.*

constituunt, iteratas venae sectiones commendant. Triste exemplum vidit HOFFMANVS (22). Quidem Archiater sexies modo ex brachio, modo ex pede intra septem dies sanguinem puerperae misit. Sed sub ultimo fatali ictu caliginantibus oculis lethali lypothimia perit. Cadauere aperto, in toto vasorum systemate vix aliquot sanguinis cochlearia restabant. Huius exempli strenuos habemus imitatores. Qui contra cum WITEO putrefactiones tantum conspiciunt, religiosissime, aut non sine crimine, a venae sectione abstant. Medium tenere beati.

Ego vero quid in re, vt difficillima, sic etiam necessaria, experientia didicerim, aut coniecturis sim assequutus, paucis exponam. Quam primum concipit mulier spasmodica irritatione uterus eius afficitur, et mirabili illa sympathia, qua vel dissitas corporis partes in consensum trahit impraegnationis phenomena producit. Vis haec irritabilis, vt et sensibilis partus nixibus increscunt, nec nisi pacatissima mentis, et corporis quiete seruata, simulque lacte et lochiis ex oordine fluentibus sedantur (23). Accedente igitur causa quauis statum illum irritabilitatis intendente, seu has functiones conturbante spasmis vbique excitatis, febris nascitur.

Quum

(22) Hoffm. *Medic. Rat. Systemat.* Vel unica venae sectione in puerpera temere instituta, lethalis fuit *Sydenh l. c.* Vide *Svvet. l. c. pag. 316.*

(23) Consuli meretur eximium opus *Medical Dictionary* a Motherby, et Wallis, Londini editum ann. 1795. verbo *Puerperilis febris.*

Quum autem conditiones physicae dispositiones a puerperio inductas comitantes, vti et causae occasionales ipsas lacessentes variae sub diversis circumstantiis existant; febres vtiq; quae ex virarum congressu, veluti ex continui causa proficiscuntur, nomine quidem, pluriumque symptomatum similitudine vnae; specie attamen, imo et genere distinctae erunt.

Itaque observatur febris puerperalis. 1. inflammatoria, aura frigida incaute a puerpera suscepta, corpore existente puro, lacte, et lochiis subito cohibitis: quae peritonidem Anglorum, vel metritidem veterum constituit, prout haec viscera gestationis, aut enixus tempore vexata stimulum prouocant, aut excipiunt, hincque titillando illuc sanguinem confluere sollicitat. 2. Putridae: a) a cacochylia gastrica gestationis mensibus, vel sub-puerperio, dietae abusu aggesta: b) a putridis miasmatis aerem inficientibus, vti in Nosocomiis: c) a lacte in mammis alterato dein in sanguinem resorpto: d) a Lochiis et secundinarum deliquis cauo utero detentis, corruptis. Ab his omnibus sanguis conspurcatur, quam natura per uterum, via enixarum conferentissima purgare contendit; sed restrictis spasmo vasculorum ostiolis refluit humor ad extimam superficiem, ad tubas, ad intestina, ad peritoneum. Inde inflationes, tormina, diarrhae: inde quoque tumores, et inundationes lactae post mortem repertae. 3. febres compositae, et complicatae ex utroque genere, principio inflammationis signis apparentes, protinusque in putridas conuersae. Quae omnium communissimae habentur, et sunt.

Quae

Quae tria puerperalium febrium genera legitima nominanda sunt, quo distinguantur sedulo ab aliis febribus de se minime puerperalibus, sed quae earum laruam induere solent. Huic spectant febres stationariae, in quas puerperae pronae sunt, veluti in biliosas Limae vere aduko pullulantes: febres etiam quae pregnantibus conficere solent, et instante partu veluti ignis sub cinere silent, donec febris lactea adoriens, huic implicatae extemplo exardescunt.

Cum ergo haec ita se habere experientia et ratione moneamur, plane constat FEBREM PUERPERALEM non esse singulare morbi genus ex eodem fonte ubicumque scatulentem (24). Itaque lites Anglos inter et Gallos intercedentes, aemulationis satiandae, et ingenii ostentandi causa umbratilitate efficiantur videntur. Assentiendum ne illustri BURSERIO FEBRES PUERPERALES gastricis includenti? Cur quanto partui proximius inuadunt, tanto seuerius saeuunt? quare matres, quae duodecim ab enixu horis vbera praebent infantibus, minus lactea febre, quam quae secundo, aut tertio die hoc opus committunt, plectuntur? Quando lac, et lochia suppressa, ut effectus; quando ut morbi causa habenda sunt? facilis ex dictis responsio.

Curatorem quod attinet: irritationem et sensibilitatem excedentes, a) causas morbi ablegando, b) spasmis frenum iniiciendo, c) naturales denique aeconomiae animalis leges instaurando, hoc Medici munus dieta, et therapeutices auxiliis obeundum. DI-

(24) Inde tam varius morbi decursus, ut notante Witheo vix duo auctores reperiantur, qui eadem ratione hanc febrem descripserint.

DIETA.

Puerpera, a) in cubiculo amplo, temperato, et sub obscuro degat: b) caueat animi perturbationes, et violentas corporis iactationes; sed prudenter resideat, et cito quoad fieri posset e lecto surgat, puerum vberibus applicet, fascias ventrem constringentes soluat, lochiorum et lactis fluxus reuocandi causa: c) munditiei summe studeat, et aer caute renouetur, cuius defectu in nosocomiis in pestiferos incidunt morbos, et infelicitèr pereunt. d) Blandis verbis puerpera mulceatur. spes alit miseris; sed exulent custodes garrientes, et importunae visitationes, earum inprimis muliercularum, quae balsamis litae, et aquis fragrantibus lotae odores spirant. Facete MONTAGNVS: *optima femina, quae non olet.* e) Potus sit refrigerans, diluens, ex hordeo aut sero lactis, egefidus sumendus: iuscula, quibus vtuntur nostrae, oriza vel lactucis illis incoctis temperata, parca et reppetita manu propinentur.

THERAPEUTICE.

Status inflammatorius. a) Intestina clystere emolliente eluito: b) reserata vena, quantum opido satis erit, sanguinem mittito; si lochia tantum imminuta, ex pede; si ex improviso omnino suppressa, immania ad caput, pectus, vterum symptomata, ex brachio. Iteranda ne sit, aut non? ex sanguine partu amisso, pulsus, et dolorum cremento, morbi stadio, aliisque secundum rationem indicantibus, prudenter discito. ne te fallat pulsus celeritas ab irritabilitate excitata. c) Aluum blande laxato. N. 1. N. 2: d) transpirationem moueto N. 3. N. 4: e) abdomen inungito. N. 5.

Status putridus. a) DOVICETI methodum sequitor: b) corticem peruianum mature exhibito: c) aetheris, vel spiritus vitrioli dulcis aliquot guttas instilla; si pulsus plenus, calor ingens: immo et ferocientium spirituum insignis domitoris, tincturae opii paucas guttas, modo ventrem totaliter non cohibeat. Pulsu vero existente debili, viribusque fractis, mixturam camphorae vnito. N. 6.

Monitum. In febribus puerperalibus laruatis proposita remedia deseruiunt, praesertim vero iuuat harum ingenium exacte inquirere; quae enim eisdem sub aliis circumstantiis profuere, sub his quoque maxima vtilitate adiunges, conditionibus pensitatis ex partu prouenientibus.

Observatio. Nuper in consilium Cl. Clinicorum, PRAECEPTORIS nimirum GABRIELIS MORENI, DOCTORI, VILLALOBOS, et EGOAGUIRRE, illustris Senatoris Coniugis curam gerentium, accitus fui. Haec, quae aspectu rubicunda, aetate et sanguine florebat, gestationis tempore tertianis duplicatis afflicta fuerat, venae sectionibus, et opiata corticis peruiani ab ill. Masdebal commendata, saepius abactis. Partu laborioso leuata, proximis diebus reddidit tertiana illa, subdole puerperalem febrem simulans: duplicatis paroxysmis quotidie incresebat: caephalalgia, narium leui haemorrhagia, tumoribus duris, resistentibus, dolorosis, vtrinque sub hypocondiis iacentibus stipata. A quibus omnibus venae sectione tribus vicibus instituta, clysteribus pruritatis intestinis, et opiata denuo liberaliter exhibita, praeter spem incolumis Senatrix euasit. Opiatae usu, pituita antiphlogistica largiter superbibita, excretiones proliciebantur, et aluo soluta tumores disparuere, a cibariis certe in colli arcibus

cubus congestis, et induratis orti. Ast aegrae alteri, febre puerperali inflammatoria decumbenti, opiatæ vsus, sanguinis missione ommissa, infeliciter cessit. Recurrentes paroxysmi imposuerant Medico febrem de tertianarum genere esse. Adeo interest Clinici prius naturam morbi exquirere, quam eius moliri curationem!

FORMULAE MEDICAMENTORVM.

STILVS NOVVS

STILVS VETVS

N^o. 1

Rec. Olei Amygdalar. d.

s. i. r. e. vnc. ii.

Mann. Calabr. vnc. i.

Subige, sensim addendo

Decoct. emoll. vnc. iv.

M.

Dosis integra simul, aut paruitis vicibus propinet.

N. 2

Rec. Natri Vitriol. Sal. Mirab. Glaub.
vel

Magnesiae Vitriol. drac. i. . . . Sal. Cathart. Amar.
multa aq. dilut.

repetar. 3^{ta}, vel 4^{ta}

quaque hora, donec
alius blande expurgetur.

N. 3

Rec. Kali Acerati drac. sem. . . . Terra Foliata tartar.

Vini Antimon. gut. xxx.

vel Antim. Tartar. gra. $\frac{1}{4}$

Aq. distill. vnc. i.

Syrup. de Althea dr. ii.

M. F.

M. F. Pot.
4ta, vel 5ta hora cum
largo pisanæ tep. haustu
exhibend. vt sudor eliciatur.

N. 4

Rec Aq. Ammoniae. Acet. . . . Spirit. Mindereri.
Aq. Ment. sativ. aa vnc i.

M. f. haust.

cuius dos. cochlear i, aut ii.
in eundem usum (n. 3),
et eadem methodo.

N. 5

Rec Spirit. Ammoniae comp. Spir. volat. sal.
drac. ii. Ammon.

olei cuiusuis emoll. vnc. i.

M.

N 6

Rec. Camphor. drac. i.
Spirit. Vini rectific. gut. x.
Gumm. Arab. drac. ii:
tere simul, gradatim affun-
dendo Aq. vel Acet lb. i.

M. f Mixtur. Iulepum a Camphora
Cochleatim exhibenda.

Nota. Collegii Londinensis Nomenclaturam (ob-
servations on the Pharmacop. 1788) Gallicae No-
menclaturæ præferimus, quoniam hæc nescio
quid iniucundi habet, et admodum in Latio pe-
grini.

*Collegii Lædenensis Nomenclaturam
(observations on the*

Este volumen contiene:

- Discursos del Dr. Bartolomé Herrera (Cura, después Obispo) (1835)
- José María Riquelme ante la nación peruana (Julio 1833)
- Manifiesto de la Junta de Poyamante de Arequipa (1808)
- Oración fúnebre, en la, exigua, de la Señora María Mercedes Moreno Obispo, a Bogotá (1835)
- Colección de piezas recibidas a la Convocatoria del Congreso extraordinario (1830)
- Representación (grupa) ante el Gobierno del Obispo Poyamante (1834)
- Simbolismo Sacro (1835)
- Concilio de Medellín
- Hechos triunfales conmemorados por la villa de Potosí al General Boyer. che (1812)

(Renato Torralba)